1695 26 martii.

Poezya ~~2928.~~

Flaszyński Matthias Joan. Victima Apollini Cracis ex principalibus coeli et terrae animantibus litata.



VICTIMA
APOLLINI CRACIO,
Ex Principalibus cæli & terræ, animantibus.
LITATA,
Ac ad ſemeſtria verioris Sarmatiæ Tripodis Feſta,
Dum
VIII. VV. DD. PRIMÆ LAVREÆ,
CANDIDATI.
In Alma Vniuerſitate Cracouienſi.
PER
Clariſsimum & Admodùm, Reuerendum Dominum,
M. MARTINUM OSLINSKI,
Philoſophiæ Doctorem, Regium, & Tylicianæ Eloquentiæ Profeſſorem, Canonicum, S. ANNÆ.
ARTIUM & PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI.
In Frequentiſſima Magnorum Hoſpitum Corona,
RITV SOLENNI PRONVNCIARENTVR,
A
MATHIA IOANNE FLASZYNSKI,
Eiuſdem Laureæ Candidato.
Symbolicè
In ſignum beneuolentiſsimi erga Concandidatos Affectûs.
DICATA.
Anno ab oblatione Incarnatæ victimæ DEI Hominis 1695.
Die 26. Martij.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

57.

In Stemma Illustrissimi & Reuerendissimi ANTISTITIS.



Credite nunc homines, adolescere tempora Veris.
Perfectum vernans ver ROSA terna facit,
PRÆSVLIS; ignivomos non expauescite motus
Cæli; sub Terna iam silet ipse ROSA.
Æthereus reboans sonus; haud metuamus auersâ,
Offensi dextrâ, fulmina missa Iouis:
Placando Superos PRÆSVL iam sacra litasti
Dum Tua bina Ioui grandior Agna cadit.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. STANISLAO

à Słupow

SZEMBEK,

DEI, & S. Sedis Apostolicæ gratiâ,

EPISCOPO DIONISIENSI,

SVFFRAGANEO, CANONICO, VICARIO IN SPIRITVALIBUS, OFFICIALI GENERALI, CRACOVIENSI.

Domino, Domino, & Patrono Amplissimo,



Agno Tuo litaturus Honori Cracius Apollo, SZEMBECIANÆ *priùs abit in victimam Virtuti.* ILLVSTRISSIME, & REVERENDISSIME ANTISTES. *Vbi tot dedicatas* SZEMBECIANO *Nomini videt hostias, quot Gentilitiæ Cælestis Agni æmulæ, gratæ Superis, ab omni genere volucrum & animantium petitas superant victimas, Hæ enim amaniores Pelicano, quia non ipsa tantum tincta cruore pectora, famelicis immolant pullis; sed etiam tota ad aras natæ, se se integras vtilitati boni publici in victimam offerunt; & famelicæ Patriæ necessitati præbent in escam. Superiores volucrum Principe Aquilâ, quæ in ipsa, non secus ac Oleniæ sidus pluuiale Capellæ quæ dati Cælum præmia lactis habet, inuolauerunt; vt non tàm sæuæ tempestatis & pluuiæ Astrologis auguria, quàm clarioris post nubila Phæbi, omni populo exhibeant specimina. Quodsi ipsum immolares Leonem, fortes Superi, non tam cum Hercule ex Leone, quàm ex Augustâ Gentilitiæ* SZEMBECORVM GEMELLÆ, *non secus ac Cretea Altricis, quam ipsi Ioues loco pretiosi monilis gestare solebant, pelle, suum ambirent habere spolium. Non tàm Cornudiuitias, virgineo mansuescentis amore vnicornis, appeteret Latonia, quàm si ipsi non tam in casses, quàm in aras, ipsius*

 mansue-

mansuetudinis Symbola, pacificæ SZEMBECORVM *inciderent Amalthea. Tot ad aras heroicæ Virtutis, Sarmatiæ Delphicus ad se immolandum reperit Mystas, quot excubantes pro Patriæ aris in* ILLVSTRISSIMO *olim &* MAGNIFICO DOMINO FRANCISCO SZEMBEK, CASTELLANO CAMENECENSI *magnanimo Tuo Æneâ (vt longo syllabo comprehensos prætercam Anchises) atq; in Illustri & Magnifico Domino,* PRÆCLAO STEPHANO SZEMBEK, CAPITANEO BECENSI, *pari fortitudine Hectore, spectauit & intuetur Heroes. Tot Antistites, quot pro Ecclesiæ focis, zelosissimos in Perillustri & Reuerendissimo Domino,* MICHAELE SZEMBEK, *Canonico Cracouiensi & Varmiensi: Perillustri & Reuerendissimo Domino,* ANTONIO SZEMBEK, *Canonico Præmisliensi miratur Numas, stupetq; discentes adhuc magnæ spei & indolis Ascanios. Tantam in Gentilitiâ Antistitis Hostiâ, spectate Superi victimam, sed tanto magis ipsum attonita stupete Numina Præsulem; qui tot iam vobis pro Patriæ aris & focis litauit munera. Illum æstimate Superi, vt pote vnicum inter Sarmatiæ Antistites, Phænicem. Pelicanum in amantissimo Præsule, agnoscite Præsbiteri, qui vos proprio etiam sanguine reficere paratum se exhibet, dum vnumquemq; ex vobis, in sinum beneuolentiæ excipiens, suum intra pectus fouet & alit. Magnarum alarum Aquilam, in Pontifice adorate Sarmatæ, qui Iouis minister factus, ne in vos fulmina furenti iaciat dexterâ, expansis in Cælum manibus, tonantem placat, & nè vos alto demissa ab æthere fulmina lædant, suâ facit & obtinet protectione. Ergo* ILLVSTRISSIME, *&* REVERENDISSIME ANTISTES, *inter tot debita Tibi venerationis hostias, cadentem* SZEMBECIANÆ *Virtuti in Victimam Cracium Apollinem, in cordis & animi Tui aram repone & Tuo immola honori. Sit ille laudis Tuæ hostia, sit Magni Nominis victima. Tu autem illi Præsul & Corona, meorum verò obsequiorum meta & Coronis.*

Vt pote.

Humillimi & deuinctissimi
Celsitudinis Tuæ.

Serui & Clientis,

MATHIÆ IOANNIS FLASZYNSKI,
Primæ Laureæ Candidati.

B. JOANNI CANTIO, CONFESSORI,

S. Theologiæ Doctori, & Professori, Regni Poloniæ, & Academiæ Cracouien. PATRONO.

In Symbolum Deuoti Cultûs,
Phœnix in extructo à seipso rogo moriens,
Cum Lemmate.

Ipse sibi Victimâ, Ara rogus.



Rbs septicollis, Maxima gentium
Victrix & ingens Imperij thronus,
Placata quondam tot Deorum
Non recolas celebrare lustra.
Sacris nec aris more Quiritium
Impone Regum præmîa. Non tibi
Gradiue, cùm Phæbus retrorsum
Solstitium peragit secundum.
Ingens litetur victima Romuli.
Nec Diua Pallas diuite munere,
Assurge; quod quondam superba
Troia Tuas posita est ad aras.
Non sol micantis lumine palpebræ,
Donis ab alto concidat in suis.
Nec Phæbe de Cælis videndo
Muneribus proprijs tumescat.
Nec laude Cæli fulgeat ambitus.
Fratresq; bini Tyndaridæ; & Tibi
Primis diebus seu Calendis
Iane bifrons solitos referri.

Non excitetis lætitiæ choros.
Nec Tu Cruentas confice victimas
Auguſte Cæſar poſt Triumphos,
Inſolitis Latij redemptus.
Gazis Litauit munera Gratiæ
Phænix Tonantis, CANTIVS, inclyta
Et ara, feſtum, victimæq;
Atq; rogus ſibi factus idem.
Toto quid autem tempore candida
Tranſacta vitæ ſæcula denotant
CANTI? quid eruditas Pallas?
Innocua & ſine labe virtus.
Niſi quod alti Numinis hoſtia
Inter labentis præmia gloriæ
Ingens Polonæ Litauæq;
Præſidium decus atq; gentis.
Tu caſtitatis lumen amabile,
Et rara Phænix. Tu domitor Tui
Victorq; ſenſûs, Tuq; vitæ
Innocuæ typus atq; norma.
Te, nos in Aſtris ſupplice, viuimus,
Per tot peracti ſæcula temporis.
Interq; ſæuos Martis ignes,
Incolumes damus arma bellis.
Cûi Nos litamus munera Cracia,
Et laureatæ nomina victimæ
Dicamus, vt nobis futuræ
Regula ſiſq; typus Mineruæ.
Ergo ſupernæ deliciæ domûs
Et magna noſtræ gloria Palladis.
Gentiſq; demum literatæ
Summa ſalus, Lechiæq; ſplendor.
Viuas in æuum cûi Deus exitum
Nunquam reliquit, ſed ſine termino
Durare iuſſit, ſicut vna
Sis Lechiæ rediuiua Phænix.

Cla

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, ET ADMODVM REVERENDIS DOMINIS.

DD. EXAMINATORIBVS.

Clarißimo & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. IOANNI BALICKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Tratnouiano, Cursûs Vladislaviani, & Hebr: Ling: Professori, Canonico S. ANNÆ, Philosophicæ Facultatis DECANO.

Clarißimo, & Admodum Reuerendo Domino,

D. M. MARTINO OSLINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio, & Tylicianæ Eloquentiæ Professori, Canonico Sanctæ ANNÆ.

Clarißimo ac Excellentißimo Domino,

D. M. GASPARO CIEKANOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Astronomiæ Ordinario Professori, & Domûs Minoris Seniori Patri.

In signum debitæ venerationis, & gratitudinis,

Pelicanus famelicis ex suo pectore, escam præbens pullis.

Cum Lemmate.

Viscera præbet.



Oc Tibi donat speciale munus
Omnium Lucina parens in ortu
Dum famis dirâ Pelicane pulli
Strage laborant.

Inter

Inter ætatis teneræ Camœnas.
Ne litent sæuis sua fata Parcis,
Vt tuos pascas proprio cruentus,
Pectore, pullos.
Hunc Tuum morem Pelicane, doctus
Ternio noster sequitur; Sophorum
Exhibens nobis meliore fonte
Pectus apertum.
Quod labor consauciat, atq; magnæ
Cura, quod demum Peripatus ipse
Mandat, vt mentis famis eruditæ
Nulla supersit.
Quid Tuus signat Tyrio colore
Purpuræ splendor, proprius Sophorum
Quem ter exactè reuoluta pinxit
Terna semestris.
Magne BALICKI *: nisi quod labores*
Sustines tantos, quibus ad decorem
Purpuram tingis Tibi, nam docendo
Viscera prodis.
Pro quibus magnam vt Superum diserte
Explices mentem, meliore normâ
Te iubent, his & cumulant superna
Numina donis.
Te sonant doctæ Cathedræ Sophorum,
Te Stoa magnæ Crattiæ Mineruæ,
Te colit prudens Academus atq;
Porticus, Almæ.
Matris, OSLINSKI *decus æuiternum*
Occinunt victi Tibi semper euge
Omnium voto Sophiæ Magistri
Io Triumphe.
Tullium dicit, fluidè perorat,
Ore docto Tyliciana suada
Te Professorem venerando summa
Rostra loquuntur.

Astra

Astra sed dignas Tibi CIEKANOVI
Prædicant laudes; quibus indidisti
Siderum cursus varios & albæ
Lumina Phœbes.
Siue terrestres Geometra campos
Diuidis, æquo sibi iure iunctos,
Siue metiris radios & orbis
Signa superni.
Siue facundos, sapientis æui
Consulis fastos, Cathedrasq; stoæ;
Semper insigni meritisq; plenus
Vincis honore.
Ergo quid tantis Craciæ Mineruæ
Offeret noster titubans Apollo?
Ipsa quos tandem faciet tenella?
Musa fauores.
Vult tamen dignâ meritûm Coronâ
Reddere, & vestras redimire frontes,
Hoc data à vobis modo Laureatæ
Laudis, honore.
Hoc iubent vltrò Thesides Athenæ
Ipse Parnassus Tibi docte mandat
Ternio, vt vòbis Hecatombe nostrâ
Munera fiant.
Scilicet pignus comitati amoris,
In suos pullos, Pelicanus Ales,
Quos famis quando rabies reuexat
Viscere pascit.
Hic cedat vestro spolium fauori,
Hic sit ingentis meriti Corona
Atq; pro tanto studij labore
Sit decus ingens.

Vici-

VICTIMA
APOLLINI CRACIO.

I. V. D. IOANNI SŁOWAKOWIC Crac.

Pullus Aquilæ irretortâ palpebrâ Solem inſpiciens.

CVM LEMMATE.

Non degener eſt hoſtia Phœbi.



Agna Miniſtra Iovis Cæli fidiſſima cuſtos,
Sidereæ ſedis Præſes Princepſq; volucrum,
Nacta ſuos felix Lucinæ munere pullos.
Auriçomi nitidam deducit ſolis ad augem,
Et iubet intrepidis oculis ſpectare nitorem,
Stantis in auge poli ſolis. Tunc ſi quis in alto
Impatiens contra radios non torquet ocellis,
Pullus; ab erecto nido mox exulat ille.
Sed qui conſpicuo miratur lumine ſolem,
Ille eſt auricomi non degener hoſtia Phœbi.
Sic pariter magnam ſobolem tuus excitat Hector
Te SŁOWAKOVI, qui poſtquam magna Dearum,
Te Lucina dedit, ſolvitque benigna parentis
Naturæ nodos teneroſque repleverit artus,
Expoſuit ſoli. Cracidi dum limina Phæbi,
Iuſſit adire: ſequique pedum veſtigia magno.
Paſſu, ſe prodromo ſolem Cælumque tueri.
Dotibus eximijs quæ creſcunt pulchrius in Te.
Vt Magni inſpicias munimina clara Parentis,
Atque modo fieres Parnaſſêi muneris hæres,

II. V.D. ANTONIO CHRZĄSZCZEWIC.

Olor ante mortem canens.

Cum Lemmate.

Litat non ſine Apolline Fatis.

CYgnus perſpicuo corpore candidus,
Per fluctus remeans perq; riuos olor,
Cùm iam pauca nimis tempora viderit.
Vitæ; aſt interitum ſtamina rumpere.
Parcas contulerit: contrahit omnium,
Membrorum tenuem congeriem; & canit.

Miro

Miro Marte sibi non sine munere,
Phœbi, Castalidis harmoniæ DEI.
Cùm Tu mellifluè verba sonantia.
Promis cùm cupidos Eloquij sono.
CHRZĄSZCZEVI recreas. Non aliud facis.
Quam laudes Cracio lingua canit Tua.
Phœbo qui docuit sic Tua labia.
Sermonis placidos promere spiritus.
Ergo pro his meritas ocçine gratias,
Illi, mellifluâ voce valens olor.

III. V. D. HYACINTHO CHRAPCZYNSKI.

Iunonia Auis pennas explicans
Cum Lemmate.

Quot Colores, tot munera dicat.

IDeam varij coloris in Te,
Non magnæ Superum Deæ & parenti.
Iunoni, sed Apollini refertos,
CHRAPCZYNSKI facies favoris actus.
Qui T tam vario colore pulchrè,
Vestivit nimium capacitate,
Mentis; cum celeri sagacitate.
Tum quod Te docilem fluente lingvâ;
In svada expolijt loqui diserte,
Vt dignas Cracida valeres arte,
Grates Lycio Apollini referre,
Illius celebrando nomen orbi.
Digne Sarmatico; propinquiores,
Famâ tam celeri replendo partes,
Ergo hos pro meritis litare debes,
Quos Phæbus Tibi contulit colores,
Et nunc perpetuam prehende Laurum.

V. V. D. GREGORIO ANTONIO ŁASZCZYNSKI Leop.

Catulus Leonis cum apertis natus oculis.
Cum Lemmate.

Phœbo visum pro munere debet.

NOn Dea principij vitæ, concessit in Orbem,
Producto visum, non Tibi magna parens.
Fronte oculos natura dedit, non clara propago,
Non patrij lares, nec genitale solum.
Magne [licet corpus parvum ingeris] atro,
Sed mansvete tamen nate Leone nepos:
[Te catulum ŁASZCZYNSKI, visum intelligo famam]
Ast Cracius primâ Phœbus in vrbe sedens,

Hic visum donans Tibi lumina fecit aperta.
Vt post Sarmatico clarus in Orbe fores.
Quotquot enim magnas dotes sub nomine gestas,
Quot numeras species, vel numerare potes,
In Te virtutum; proprio candore micantis
Quot pietatis erunt pignora cara DEûM.
Omnia Cymmeriys iacuissent septa tenebris,
Ni suus à Cracio splendor adesset ibi,
Ergo Tuum Phœbo visum pro munere dones,
ŁASZCZYNSKI, qui Te rite videre facit.

VI. V. D. FRANCISCO ZATORSKI.

Elephas Ingeniosissimum animal.
Cum Lemmate.

Offert quod ab Apolline sumpsit.

INgentis alta mole vastum corporis,
Portentum in Orbis parte Mater Africa,
Produxit Elephantem; Tonantis manu.
Curaq; cunctorum domus magnæ DEVM,
Hunc author erudit Apollo, carminum.
Princeps, Dearum novem adjutus munere,
Vt esset alto corpori miraculum,
Æquale parq; mente portentum suo.
Produxit in Te Parnassus Lechiæ,
ZATORSKI acumen dignum Musis ingenI.
Mentisq; præclaræ vivax miraculum,
Ergo offeras Phæbo quod à Parnasso habes,
Et redde dignas gratias illi Tuæ,
Qui Te beavit his mentis splendoribus,

VII. V. D. ALBERTO TOMASZEWSKI.

Vnicornis ante Phœbum.
Cum Lemmate.

Cornu divitias Phæbi litat in Aris.

APro splendidius Vertice præditum,
Cornu fronte gerens sua,
Non vult vniceros vincula perpati,
Nec diris laqueis dari,
Si non Virgineo lumine perciius,
Mansuescit celer, in loco,
Quo libare solet concita flumina,
Et fauces dare fontibus,
Tunc iam compedibus corpora subjicit,
Vires atq; suas litat.
Et Noster pariter sic TOMASZEWSCIVS,
Fecit, dum Craciæ dedit,

Magnus

Magnus conspicuum Palladis in sinum,
Frontis divitias suæ,
Ergo laurigerum submove verticem,
Felix dotibus ingenij.

VIII. V. D. JOANNI LASKOWSKI,

Coronatum Vri Caput,
Cum Lemmate.

Cadat in Præmia Phæbo.

ROma Caput Orbis, domitor omnium mundi,
Regnorum & omnis victimæ locus dicta,
Si quando de victis suis triumphavit,
Hostibus, in hostias dabat suo Marti,
Tauri Caput, Parnassiam gerens laurum,
Semper memor victoriæ sibi datæ,
Tu quando, Diuis immolare, LASKOVI,
Nostræ Minervæ, vis focis, & addictus,
Sacrare Phæbo gratias cupis digne,
Post tot datam Victorias tibi Laurum,
Non iam boantis applices manu fronti,
Tauri, sed ingentis lites caput vri.

IV. V. D. MATHIÆ FLASZYNSKI.

Primæ Laureæ Candidato

Authori operis

Pegasum è litato Madusæ sangvine natum & in Helicone nutritum
Cum Epigraphe.

Sis felix victima Musis.

IOANNES SLOWAKOWIC.

Eiusdem Laureæ Candidatus.

In argumentum mutui fraterni affectûs & gratulatorij applausûs offert, dicat, consecratque.

ARcana quondam gloria Persei,
Caput Madusæ robore nobili,
Aris Minervæ consecravit,
Mercurijq; focis litavit.
Ex cuius atro sangvine Victimæ.
Succrevit, olim Pegasus aliger,
Totusq; Musarum secundus,
Prosilijt; celerique passu.
Vndam Thebarum, tum iuga, montium,
Felix reliquit. Tu simili quoq;,

Curâ FLASZYNSKI destinata,
Munera sacra litas Minervæ.
Sed clariori nomine Persei,
Quod literati ponè monilibus,
Cetum Minervæ laureatum,
Et soc ûm numerum corones.
Tu quippe primis clarus honoribus,
Trophæa condis Palladis Inclÿta
Suadâq; Musarum secunda,
Pandis opus vigilemq; mentem.
Dicas; vt inter vota Pierÿ,
Fias perennis victima Apollinis.
Priscaq; doctrinæ theatrum,
Condecores studio secundo.



SUB AUSPICATO REGIMINE,
MAGNIFICI, PERILLVSTRIS, ET REVERENDISSIMI DOMINI,

D. M. SEBASTIANI. PISKORSKI,

J. V. DOCTORIS, & PROFESSORIS, ECCLESIARUM, CATHEDRALIS CRACOVIEN: & COLLEGIATÆ VIELUNENSIS CANONICI, SS. OMNIUM CRAC: ARCHIDIACONI, SCHOLARUM NOVODVORSCIANARUM PROVISORIS, STUDII ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOV: PROCANCELLARII, EJUSDEMQVE GENERALIS AC VIGILANTISSIMI

RECTORIS